IN AUSPICATISSIMAS NUPTIAS JOANNIS BAPTISTÆ CHILESOTTI ET...

Stefano Stefani

IN

AUSPICATISSIMAS NUPTIAS

JOANNIS BAPTISTÆ CHILESOTTI

ET

JOANNÆ BERTOLINI

VICETIÆ

TYP. PICUTTI EDIT.

1839.

AD SPONSÆ MATREM

ELEGIDION

Dulcia conjugio arridens cum vincula Natae
    Ferret Amor, visa es triste queri, Genitrix.

Tune procul ? tu, cara, meis divelleris ulnis?
    O sponsa, o tota saepe dolenda domo !

Acer Amor, duo sic rapuisti pignora: nobis
    Hoc etiam pignus surripis, acer Amor ?

Nata haerens fletu nitidos suffudit ocellos:

Maternae lacrymis immaduere genae.

Parce dolere, Parens. Saevum quid fingis Amorem?

Hic si crimen habet, Tu quoque crimen habes.

Aurea coelesti decorat Te lumine Virtus:

Par veniens Natis inde refulget honor.

Relligio cordi: pudibundo Gratia vultu:

Stant comites Curae, sedula turba, domus.

Quid mirum surrepta tibi tot pignora, Mater!

Sit quamvis captus lumine, cernit Amor.

Sic cespes, cui vere rosas levis educat aura,

Invitat cupidas in sua damna manus.

Necte volens Sponsae florentia serta capillis:

Illa eat eximio spes columenque Viro.

Talis Tu quondam gremio de Matris abibas,

O matronalis clare decor generis.

AD SPONSÆ PATREM

EPIGRAMMA

Annis egregia seris Te prole parentem,
Te, Thoma, o sanctos inter habende senes,

Laetitia ut niveis plaudens circumvolat alis,
Tertia dum tanto Filia nupta Viro est!

Felix, quem Uxor amans, jucundo quem agmine cingunt
Maxima spes, Nati, maxima spes, Generi!

G. A—S. S.